



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quænam personæ præter Iudicem, & accusatorem fiant irregulares
ratione homicidij publicâ auctoritate, & justè commissi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

aliter impediti non potest. Secundò si quis accuset aliquem de crimine levi, ex quo tamen occasionem sumit Judex propter alia crimina gravia, aliunde nota, occidere accusatum. Tertio si Judex ex propria malitia, & culpa excedat limites justitiæ punitivæ in occidendo reo, qui ad multam tantum pecuniariam fortasse condemnandus fuisset. Quarto si ob contumaciam condemnatus accusatus, quam prævidere non potuit accusator. Quintò denique si coram Inquisitionis tribunali, vel coram alio iudice Ecclesiastico accusatio instituat, cum enim hic ad sanguinis sententiam procedere non possit, frustranea esset protestatio.

§. III.

Quenam persona præter Judicem, & accusatorem fiant irregulares ratione homicidij talis publicæ auctoritate, & iuste commissi.

PRIMò dubitatur de testibus, utrum illi, si in causa sanguinis testentur, irregulares fiant? cui dubio *re.* fieri eos irregulares, si in causa criminali, criminaliter acta, contra accusatum, testimonium ferant, & mors exinde sequatur, sive Clerici, sive Laici illi fuerint, sive protestati fuerint, sive non, cum protestatio in tali casu, ubi quis ferendo testimonium movet Iudicem ad ferendam mortis sententiam, & consequenter moraliter in mortem condemnati influit, sit contraria facto, non autem sunt irregulares, si pro innocentia accusati, vel in causa civiliter intentata, testimonium ferant, etiam si ex alijs deinde motivis ad mortem con-

Compend. Pirking.

demnet accusatum Iudex, cum in tali casu non sint causa moralis movens Iudicem ad ferendam mortis sententiam.

Secundò dubitatur de Adocato, an si contra accusatum in causa sanguinis patrocinetur pro accusatore, irregularis fiat, si postmodum sententia mortis & mors accusati sequatur. *re.* fieri irregularem in tali casu, etiam si inutiliter protestatus fuerit, cum in tali casu valde efficaciter ad sententiam influat, prout sumitur etiam ex *cit. c. 2. h. t. in 6.* si tamen pro reo stet advocatus, & eum defendat, reus autem nihilominus condemnatur, immunis est ab irregularitate, ob contrarium fundamentum: sicut etiam non sit irregularis, si pro reo steterit, accusator tamen, eò quòd succumbat, pœnâ talionis puniatur, cum in tali casu non tam ad punitionem accusatoris, quàm ad innocentiam rei defendendam concurrerit.

Tertio dubitatur de illis, qui in loco supplicij assistunt executioni sententiæ capitalis, utrum incurrant hi irregularitatem. *re.* si assistant tantum spectandi causa, nullam incurunt irregularitatem; si verò assistant, ut sua præsentia auctoritatem præstent executioni supplicij, vel cooperentur, incurunt irregularitatem, quia in illo casu nihil ad occisionem illam concurrunt, concurrunt autem in casu posteriori: putant tamen aliqui, Clericis *c. pen. Ne Clerici vel Monachi &c.* simpliciter prohibitum esse, non quidem graviter, secluso scandalo, sine rationabili causa assistere, & spectare cruentæ talis sententiæ executionem.

Ddd dd

☉(o)☉

§. II.